



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus De Brevissima Ad Perfectionem Via, hoc est De  
Perenni Divinæ Voluntatis Intentione, Executione,  
Apprehensione**

**Družbicki, Kaspar**

**Coloniae, 1723**

Considera V. Quid exigit à nobis Voluntas Dei?

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55395](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55395)

5. Discam, summam esse felicitatem regi voluntate DEI, & ipso DEO: summam miseriam esse, recedere à voluntate DEI, quia est recedere à DEO; summam esse stultitiam eâ uti nolle, quia hoc est DEO uti nolle. Atque id tam in parvis, quàm in magnis rebus, quia eadem est in omnibus DEI voluntas, esto non eadem quæ vult; non est autem injuria objecto & rei volitæ, sed ipsi volenti, & voluntati; quod diligenter notandum est parvarum legum contemptoribus, in Religione, in Republicâ, in Conscientiâ,

CONSIDERA V. *Quid exi-  
gat à nobis Voluntas  
DEI?*

132. *Primò.* Exigit à nobis voluntas DEI cognitionem, ut scilicet eam perfecte sciamus, quantum ad officium, statum, ætatem. Occupationes nostras attinet. Hoc enim sublato, frustra sunt reliqua. Hinc fons perditionis humanæ, Ignoratio voluntatis Divinæ: ad eam tolendam ipse Deus homo factus est, & Magister voluntatis suæ esse voluit, docuitque quid credi Deus, quid fieri vellet à nobis; docuit non verbo tantum, sed etiam exemplo. Ex hoc concludam crebro regulas officii mei, status, occupationum mearum relegere, expendereque me debere, aliosque ad id inducere.

*Secundò.*

*Secundo.* Exigit voluntas DEI à nobis Amorem & Æstimationem sui super omnia quæcunque, cujus exemplar habemus in Deo & Christo. Causæ amoris hujus patent ex prædictis fatis. 1. Dignitas hujus voluntatis. 2. Exempla DEI, JESU Christi, Sanctorum, beatorum in cælo, rerum inanimatarum. 3. Utilitates sive effectus hujus voluntatis, quos in DEO, in Christo, quos nobis & in nobis facit; ut quod illa principium essendi nobis est Mater, Regina, Regula, centrum, omnium perfectionum compendium. Necessitas: volentes enim nolentes illi obsequimur, ut supra dixi. Conf. 4. n. 3.

*Tertiò.* Exigit à nobis voluntas DEI <sup>133.</sup> exercitium & usum sui. Ad hoc enim est: ad hoc se prodit: non enim gratis vult, sed ideò, ut sit quod vult. Ad hoc se manifestat & plane obtrudit infinitis viis & modis, ut exerceatur. Ad hoc minatur ingentes misérias neglectoribus sui, ut scilicet non negligatur. Nihil punit Deus, nisi suæ voluntatis contemptum & quantum punit? tolle hunc, infernus non erit. Ad hoc præmia promittit, sibi obsequentibus, ut sibi serviatur. Nihil coronat, nisi sui executionem; quibus præmiis? tantis, quantis ipsa vult, tantis autem vult quantis potest; ipsius enim velle est posse. Et quis Tibi non serviet voluntas sancta! Voluntas magna! O me millies contingat mori priùs, quam Tibi in puncto & apice non conformari!

Reliquas Considerationes, nihil attinet  
me repetere, ne actum agam, dictumque  
dicam. De Substantia & Actibus hujus  
Exercitii, vide supra Cap. 13. De Excel-  
lencia, Perfectione, Effectis sup. Cap. 8.  
De modis facile reddendi hoc Exercitium,  
& de affectibus, quibus peragi possit.  
sup. Cap. 13. ante finem &  
Cap. 14.

Provinc. Polon. Soc. Jesu

F I N I S

